Feria VI. post Octava SS. Corporis Christi.

IN FESTO SANCTISSIMI CORDIS EJUSDEM D. N. JESU.

Introitus.

Cant. 3. EGredìmini, & vidête, filiæ Sion, Regem Salomônem in diadémate, quo coronâvit eum mater sua, in die desponsatiônis ejus, & in die lætítiæ Cordis ejus.

Psal. 44. *Psalmus*. Eructâvit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

FAC nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, & affèctibus inflammári: ut & imágini bonitâtis tuæ conformes, & tuæ redemptiônis mereâmur esse partícipes. Qui vivis & regnas cum Deo Pater, &c.

Lèctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephèsios.

Cap. 3. v. 8. FRátres: Mihi òmnium Sanctôrum mínimo data est grátia hæc in géntibus evangelizâre investigábiles divítias Christi, & illuminâre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi á sæculis in Deo, qui ómnia creâvit. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini Nostri Jesu Christi, ex quo ómnis patèrnitas in cœlis, & in terra nominâtur, ut det vobis secúndùm divìsias glóriæ suæ virtûte corroboràri per spíritum ejus in interiôrem hóminem, Christum habitâre per fidem in córdibus vestris: in charitâte radicáti, & fundáti; ut possìtis compreháendere cum òmnibus Sanctis, quæ sit latitùdo, & longitûdo, & sublìmitas, & profúndum: scire étiam supereminèntem sciéntiæ charitâtem Chrìsti, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale. Dìcite Fìliæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuêtus. ℣. Non erit trístis, neque turbuléntus: Non clamâbit, nec audiêtur vox ejus foris. Allelúia, allelúia. ℣. Díscite á me quia mitis sum, & húmilis corde: & inveniêtis réquiem animâbus vestris. Allelúia.

Matt. 21. Isaiæ 42. Matt. 11.

Post

Post Septuagesimam.

Psal. 68. *Graduale.* Impropérium expectâvit cor meum, & misériam : & sustìnui qui simul contristarêtur, & non fuit; qui consolarêtur, & non invéni.

Psal. 21. *Tractus.* Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hóminum, & abjéctio plebis. ℣. Omnes vidèntes me, derisèrunt me; locùti sunt lábiis, & movèrunt caput. ℣. Sicut aqua effûsus sum, & dispèrsa sunt ómnia ossa mea. ℣. Factum est Cor meum tamquam cera liquèscens in médio ventris mei.

Post Pascha dicitur Alle-
Psal. 29. lúia, allelùia. ℣. Dómine Deus meus clamàvi ad te, & sanásti me: eduxìsti ab ínferno animam meam. Allelúia. ℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi: conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítia. Allelùia.

℣. Sequéntia sancti Evangèlii secùndùm Joánnem.

Joan 15. v. 9. IN illo tèmpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sicut dilèxit me Pater, & ego diléxi vos. Manéte in dilectiône mea. Si præcépta mea servaverîtis, manébitis in dilectiône mea, sicut & ego Patris mei præcépta servàvi, & máneo in ejus dilectiône. Hæc locûtus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, & gáudium vestrum impleâtur. Hoc est præcèptum meum, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos. Majôrem hac dilectiônem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecerîtis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus. Vos autem dixi amícos, quia ómnia quæcùmque audívi á Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, & pòsui vos, ut eâtis, & fructum afferâtis: & fructus vester máneat: ut quodcùmque petierîtis Patrem in nómine meo det vobis. Credo.

Offertorium. Dòmine Deus in simplicitâte Cordis mei lætus óbtuli univérsa: & pòpulum tuum vidi cum ingènti gáudio tibi offérre donaria. Deus Israël, custódi hanc voluntâtem cordis eôrum, Allelúia. 1. Paral. 29.

Secreta.

ILlo nos igne, quæsumus Dómine, Spíritus Sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus-Christus, è penetrálibus Cordis sui misit in terram, & vòluit vehemènter accéndi: Qui tecum vivit, & regnat in unitâte ejúsdem, &c.

Præfatio de Nativitate Domini. Et sic dicitur etiam in Missis Votivis à Dominica Trinitatis usque ad Septuagesimam-

mam. A Septuagesima vero usque ad Pentecosten, Præfatio de Cruce.

Psal. 33. *Communio.* Gustâte, & vidête, quòniam suâvis est Dóminus: in ætérnum misericòrdia ejus, Allelúia.

Postcommunio.

PRæbeant nobis, Dómine Jesu, divînum tua sancta fervorem: quodulcissimi Cordis tui suavitâte percépta, discâmus terréna despícere, & amâre cœléstia. Qui vivis, &c.

Sanctæ Fidei in Indiis.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Sextus *Pontifex Mâximus ad humillimas preces Augustini Alarcón Canonici Cathedralis Ecclesiæ Sanctæ Fidei, nomine etiam totius Capituli porrectas, me infrascripto Secretario referente, benigne permisit R.mo Archiepiscopo arbitrium indulgendi, ut in Universa sua Diœcesi á Clero Seculari, nec non á Religiosis, et Monialibus utentibus Calendário Diœcesano in Feria VI. post Octavam Solemnitatis Corporis Christi recitari possit quotannis ritu dupl. maj. Officium cum Missa Sacratissimi Cordis Jesu jam approbatum pro Regnis Portugalliæ, et Algarbiorum. Die 2. Septembris 1795. Joanes Card. Archintus Præfectus. D. Coprola S. R. C. Secretarius.*

Santafé, y Mayo 13 de 1797. = Visto el Brebe Apostólico de arriba, dado en Roma en dos de Septiembre del año pasado de 1795; estimando, y venerando con todo el lléno de nuestro corazon una gracia del Supremo Pastòr de la Universal Iglesia, en que tanto se interesa la christiana devoción, y piedad de esta nuestra Diocésis; usando de la facultad que por èl se nos confiere accedemos, y convenimos muy gustoso por parte de nuestra jurisdiccion, en que todos los años desde el presente se reze por el Clero Secular, y Regular, y Religiosas de este nuestro Arzobispado el Viernes proxîmo siguiente despues de la Octava del Córpus, baxo del rito de doble mayor, el Oficio con la Misa del Sacratissimo Corazon de Jesus, uno, y otro aprobado por la Silla Apostólica para los Reynos de Portugal, y los Algarves, todo arreglado á dicho Brebe; y no solo

16-194

bBA797
C363r

lo consentimos, ó convenimos, sino que conforme á dicha facultad positiva, y expresamente ordenamos, y mandamos que se haga, y execute segun, y como en dicho Brebe se contiene: Y mediante á haberse obtenido este Indulto à nombre de nuestro M. V. D. y Cavildo, se le pasará copia Certificada de èl, y de este Decreto por nuestro infrascripto Secretario de Camara, para que lo mande custodiar en su Archivo; y otra igual copia se pasarà á cada uno de los M. R. Prelados Provinciales, y M. R. Preladas de los Monasterios de Religiosas; y otra á nuestro Maestro de Ceremonias para que haga se imprima á continuacion del Quadernillo de rezo del año proximo venidero de 98; y á la de los Exemplares de dicha Misa, y Oficio, si se imprimiesen algunos; y el Original se reservarà en nuestra Secretaria de Camara = Baltazar Jayme Arzobispo de Santafé = Don Pedro de Echevarri Secretario = Es fiel Copia = Echevarri.